

li assertione & regula deduco sequentes Conclusiones, primo circa rem, deinde circa fructus. Unde

Dico 2. Possessor bonæ fidei statim ac intelligit rem, quam possidet esse alienam, tenetur eam adhuc extantem in toto, vel in parte restituere, nisi forte eam legitimo tempore præcipserit. (*l. a. 6. o.*) Ratio patet; quia qui habet ultra quod suum est, debet ei subtrahi, & dari cui deest, alioquin non salvatur Justitia, & fit iniustus detentor. Quod si rem consumperit, vel casu aut etiam ejus culpa perierit, non tenetur quidquam restituere, nisi id, in quo ex ea factus est ditior. Patet 1. pars: quia non tenetur ratione rei acceptæ, quæ amplius non est, neque ratione injustæ acceptionis aut distractionis, quia bona fide possidebat; & quamvis forte peccaverit contra Justitiam commutativam, cum disposuerit de re, quam invincibiliter putabat esse suam. Patet etiam 1. pars: quia id, in quo factus est ditior, succedit loco rei; & contra Jus naturale est, quod quis detescat cum alterius injuria, juxta hanc regulam Juris 8. in 6. *Locupletari quis non debet cum alterius jactura.* Hinc

Inferes 1. Possessorem bonæ fidei, qui rem alienam amico donavit, alias nihil ex suis daturus, ad nihil tenetur, quia inde non est factus ditior: si alias ex suis erat daturus, tenetur in quantum suis percepti; quia in tantum factus est ditior: & si occasione doni aliud donum ab amico recepit, etiam istud secundum donum restitutioni subjacet, quia etiam in hoc ratione rei alienæ factus est ditior, nisi forte illud expendit, nihil alias de suo expensurus. Inferes 2. E contra, eum, qui rem alienam dono acceptam bona fide vendidit, teneri pretium reddere Domino, quia in hoc factus est ditior; nisi, ut modo dicebam, illud expendit, alias ex suis nihil expensurus. Quidam existimant, quod, si summo pretio vendiderit, possit sibi retinere, quod superexcedit pretium medium quasi fructum industriæ. Sed de hoc in fine Articuli. 3. Qui vinum furtivum bona fide bibit, alias non bibiturus, ad nihil tenetur: quia inde non est factus ditior, quod si ideò percepti suo vino, vel cerevisia bibisset, quia in tantum factus est ditior. Qui ex hereditate pingui, quam credebatur legitimam, statum auxit, majores expensas fecit, si, comperta rei veritate & restituta hereditate, bona ipsius sint in eodem statu ac fuissent seclusa illa hereditate, ad nihil tenetur, quia inde non est factus ditior. Specialis difficultas est de eo, qui rem furtivam bona fide emit, cui debeat restituere, quam infra speciali Artic. expendam.

Dico 3. Possessor bonæ fidei tenetur restituere omnes fructus naturales, mixtos, & civiles, adhuc extantes (nisi forte eos triennio præcipserit) deductis tamen expensis necessariis & utilibus, atque æstimatione industriæ & laboris. Ratio est; quia sunt fructus rei, res autem fructificat Domino suo.

Neque obstat, quod fructus mixti & civiles non sint meri fructus rei. Hoc ipso enim quod deducitur pars correspondens expensis & æstimationi laboris & industriæ, totum quod superest, est fructus rei. Neque etiam obstat, quod res forte non ita fructificasset apud Dominum; id enim pertinet ad bonam fortunam Domini, qui ubicumque res fructificat, Domino fructificat. Quod si fructus non amplius extent, quovis modo assumpti fuerint, tenetur tantum ad id, in quo factus est ditior, ut patet ex secunda Conclusiones, & habetur in Jure *L. Item veniunt §. Præter hæc ff. de petitione hereditatis l. 5. tit. 3.* ubi dicitur: *Eos autem, qui justas causas habuissent, quarè bona ad se pertinere existimassent, usque ad damtaxat, quo locupletiores ex ea re facti essent, condemnandos, scilicet ad restitutionem. Dixi: deductis expensis necessariis & utilibus, atque æstimatione laboris & industriæ, necessariæ scilicet & utilis. Alioquin Dominus haberet plusquam debet habere, & ditesceret ex alieno: & habetur in Jure *L. Fructus ff. soluto Matrimonio*, ubi dicitur: *Fructus non intelliguntur nisi deductis impendiis.**

Cæterum notandum circa expensas utiles, quæ nimirum rem meliorem & utiliore efficiunt, dominum rei non teneri refundere possessori bonæ fidei ipsius meliorationis valorem, sed expensarum tantum, si tamen valorem meliorationis non excedant. Ita *L. In fundo. ff. de Rei vindic. Libr. 3. Tit. 1.*

Res clarior fiet exemplo. Titius, possidens bona fide tum prædium, in eo plantavit arbores expensis 100. librarum: nunc arbores plantatæ valent 500. libris, non teneris refundere possessori 500. sed 100. tantum, quia non plus exposuit, & tale augmentum est fructus tui

prædii. E contra, si Titius expendit 500. & arbores modo valeant tantum 100. teneris 100. tantum, & non 500. ipsi refundere, quia res tibi tantum utilis est ad 100. nec æquum est, ut cogaris eam emere plus, quam tibi valeat. In eo, si Titius expendisset 100. in meliorationem, nisi tu perfecisses 40. deberes tantum refundere 50. quia id solum debes refundere, in quo emolumentum capis ex alterius expensis, capis autem ex 50. tantum. Colligitur ex *L. In fundo. cit. Tandem*, si Titius ex re meliorata fructus perceperit, etiam si eos quovis modo consumperit, debet illos computare in compensationem expensarum; quia, quo plures fructus percipit, censetur eo minus expendisse, aut expensas suas redemisse.

Sed quid, si melioratio perierit? expensæ, quas pro ea fecit possessor bonæ fidei, debentur illi refundi a Domino rei? Respondet affirmative Auctor Supplem. Tournel. hic *Cap. 2. de Rest. a. 5. Sect. 1. ex L. 38. ff. de petitione Hered.* Sed quomodo ista responsio coheret cum immediate ante dictis, quæ ipse Auctor ibidem nobiscum admittit, non satis capio. Si enim, ut dictum est, quando expensæ superant meliorationem, sint tantum refundendæ juxta illius meliorationis valorem, ita quod si expensæ valeant 100. & melioratio 50. sint tantum refundendæ 50. evidenter sequitur, quod, ubi nulla remanet melioratio, nihil sit refundendum. Unde ad legem cit. potius videtur dicendum, quod ipse dicit ibidem in alio casu, eam corrigi per alias leges, aut valere tantum pro foro exteriori.

Sed quia non solim in materia præsentis Articuli, sed in variis sæpè citantur Leges pro & contra, non erit abs re notare semel pro semper cum laudato Theologo ibidem, nemini mirum esse debere, quod Leges civiles sint aliquando inter se contrariæ; 1. quia opus illud immensum collectum est ex variis Jurisconsultis, qui non raro contraria sentiunt. 2. quia vix fieri potest, quod collectores semper meminerint eorum, quæ alibi conscripserunt. 3. quia quod uno tempore convenit tolerari, alio quandoque non convenit.

Quantum ad expensas, seu meliorationes voluptuarias convenit inter Auctores, eas a possessore bonæ fidei posse auferri, si separari possint a re absque ejus destructione, aut deterioratione, ut sunt Horologia, Picturæ, Statuæ, Portæ, Fenestræ, &c., vel si non accesserint fundo per implantationem, ut Arbores (& hoc etiam verum est de possessore malæ fidei). Quod si auferri non possint absque rei deterioratione, aut per implantationem fundo acerevint; quidam dicunt, quod possessori bonæ fidei concedatur facultas cogendi dominum, aut refundere expensas, aut totam rem emere justo pretio, & ita forte in foro exteriori: favet enim *Lex Utiles 39. ff. De Hered. petit. l. 5. Tit. 3.* Sed quantum ad forum interius probabilius videtur, dominum rei ad eas expensas non teneri; non enim æquum videtur, quod solvat expensas, quas noluisse facere, & quæ ipsi, nullam utilitatem afferunt; favetque *L. Ex duobus 27. ff. de negotiis gestis Libr. 3. Tit. 5.*

Dico 4. Quantum ad fructus merè industriales, nihil quidquam ex eis tenetur restituere possessor bonæ fidei (quod etiam verum est de possessore malæ fidei) etiam inde factus sit ditior. Est communis. Ratio est quia fructus ad eum pertinent, ad quem pertinet causa fructifera; atqui res aliena utpote sterilis, ut supponitur, non est causa horum fructuum, sed sola possessoris industria: ergo. Hinc inferes 1. eum, qui ex pecunia aliena, sive justè, sive injustè acquisita, lucrum facit, teneri ad solius pecunie, non lucri, restitutionem. 2. Theaurarii, Quæstores, Receptores, Telonarii, & similes, qui pecunias sibi commissas, aut apud se depositas, negotiando, cambiando, lucendo, &c. lucratur, secluso damno dominorum, nimirum salva sorte, quocumque modo perierit, sibi lucrum faciant, nec tenentur illud restituere: & quamvis possent peccare contra fidelitatem & obedientiam, si id eis prohibeatur, aut præsumantur invidi Domini, atque in pecuniam delicti isto lucro privari possint, non peccant tamen contra Justitiam.

Petes: Si possessor bonæ fidei rem alienam, dono, vel mediocri pretio comparatam, summo pretio vendat, an possit auctarium supra mediocri pretium sibi retinere ut fructum industriæ? Multi affirmant, & satis communiter: at tamen probabilius cum aliis R. regulariter loquendo negativè: quia istud auctarium non ita est fructus industriæ, quin sit etiam fructus rei attentis circumstantiis; quod enim rem aliò transtuleris, aut in tempus servaveris, ubi carius venditur, quod non fecisset dominus, tua quidem est industria: at hæc præcisè non est causa majoris pretii, sed etiam raritas mercium, aut copia mercatorum abs-

absque enim tua industria ibidem, aut tali tempore res posita tanti valerent. Insuper res, ubicumque sit, domini est, & domino valet quod ibi valet, sive tanti valuisse inter manus domini, sive non. Confirm. Si res inter manus possessoris bonæ fidei perisset, aut deteriorata fuisset, non peritura, aut deterioranda apud dominum, domino periret, aut deterioraretur: ergo, si sit meliorata sive intrinsecè, sive extrinsecè, apud alium, domino melioratur: æquum est enim, ut qui sentit incommodum, sentiat commodum. Totum ergo auctarium sibi retinere non debet possessor bonæ fidei; sed id solum, quod suo labori & industriæ respondet secundum iudicium viri prudentis. Dixi *regulariter loquendo*: quia, si contingeret, quod auctarium proveniret ex singulari & sola industria possessoris, tunc totum ipsius esset.

ARTICULUS X.

Utrum, qui bona fide emit rem furtivam, ubi novit esse furtivam, tenetur eam reddere Domino, nec possit reddere furi pretium suum recuperaturus?

Suppono 1. quod, si Emptor bonæ fidei suum pretium facile a fure recuperare possit, sive petendo, sive impetrandò Judicis auctoritate, sive alia via legitima, teneatur rem domino immediatè restituere, quia eo casu nulla est ratio, cur domino rem suam non reddat. Suppono 2. e contra, quod, si fur sit restitutus domino rem illius, aut ipse dominus sit eam facile recuperaturus, possit emptor eam reddere furi, ut suum pretium consequatur, quia eo casu censetur dominus consentire, alioquin foret irrationabiliter invitus, juxta illud tritum Axioma: *Quod mihi prodest, & tibi non obest, teneris facere.* Suppono 3. quod si emptor emisset rem a fure viliori pretio, ut eam redderet domino, alias eam non recuperaturus, possit repetere a domino pretium, & dominus teneatur ei reddere, quia utiliter & quasi ex ejus commissione rem ejus gessit, & ita colligitur ex *L. Si quis alienum 2. ff. de neg. gestis*; secus propter rationes oppositas, si non domino, sed sibi emisset, aut si domino quidem sed rigoroso pretio emisset: quamvis tamen in hoc ultimo casu videatur, quod dominus debeat aliquid dari emptori secundum iudicium viri prudentis. Suppono 4. tamquam certum, quidquid dicant alique, emptorem malæ fidei teneri rem a domino reddere, etiam cum periculo amittendi suum pretium: quia non tantum tenetur ratione rei acceptæ, sed etiam ratione injustæ acceptionis: unde quod pretium furi datum recuperare non possit, suæ malitiæ imputare debet. Suppono 5. quod, si fur non compareat, aut ab ipso emptor bonæ fidei pretium suum recuperare non valeat, ipse emptor non possit rem alteri vendere, aut in suos usus convertere, ut se servet indemnem: in hoc conveniunt auctores utriusque Sententiæ, mox referendæ. Suppono tandem, quod, si dominus rem suam repetat, emptor teneatur illi reddere: in hoc etiam conveniunt Patroni utriusque partis.

Difficultas est itaque 1. de emptore bonæ fidei, qui rem sibi emit, & quam si domino reddat, pretium furi datum verosimiliter sit amissurus. 2. de fure, qui rem sibi redditam probabiliter domino non reddet: an in his circumstantiis emptor teneatur reddere rem domino, etiam non repetenti, quia, forte ignorat, cum periculo amittendi pretium? Nequant Navarr. Sylvest. Angelus, Lessius, & alii plures probabiliter. Affirmant Cajet. Soto, Joannes Medina Major, Sylvius, &c. & ex recentioribus Perfector Tournelli, Daelman, Henno, Ethica amotis, & ut puto communius: eum quibus.

Dico: Probabilis est, quod, qui bona fide rem furtivam emit, ubi esse furtivam rescit, tenetur eam reddere immediatè vero domino, etiamsi suum pretium a fure non sit recuperaturus. Prob. 1. ex principio 8. Th. (*Hic. a. 6. o.*) communiter recepto. Qui habet ultra id quod suum est, debet ei subtrahi, & dare, cui deest: atqui emptor habet ultra quod suum est, nempe alienum, & domino deest, non furi: ergo. 2. Ex alio principio etiam communiter recepto. Res ubicumque sit, clamat ad Dominum: ergo. 3. Nemo potest rem alienam contractare, seu de ea disponere invito rationabiliter Domino, id enim est propriè furtum: atqui Dominus est rationabiliter invitus, dum res sua redditur furi sibi peritura: ergo. Prob. Min. Dominus non tenetur in id consentire: ergo. est rationabiliter invitus. Prob. Ant. tum quia, ut dixi, res clamat ad Dominum; tum quia Dominus habet jus eam repetendi & ipsi repetenti tenetur emptor reddere, ut modo dicam: ergo non tenetur consentire.

4. Si Dominus repetat rem suam, sive juridicè, sive privatim, emptor tenetur ei reddere, & certo ad id a Judice condemnabitur, ut fatentur ipsimet adversarii; atqui repetitio non confert Domino jus, ut res sua ipsi immediatè restituatur, sed supponit, & ex omissione repetitionis propter ignorantiam non amittit tale jus: ergo etiam non repetenti debet restitui. 5. Si fur non compareat, aut ab eo emptor non possit pretium suum recuperare, non potest rem illam alteri vendere, aut in suos usus convertere ut se servet indemnem, ex ipsis adversariis: ergo nec furi restituere. Nec obstat, si dicas, quod restituendo furi, restituatur mediatè Domino, quatenus fur potest & tenetur restituere: nullo enim vero sensu dici potest restitui mediatè Domino, dum restituatur illi, qui sciunt Domino non redditurus. 6. Reddere rem furi est concurrere iniquæ ejus detentioni, non solum negativè, ut voluit adversarii, sed etiam positivè, nec minus positivè, quam si eam alteri venderes, aut gratis daret: ergo. 7. Ideo secundum adversarios emptor bonæ fidei potest rem furi reddere, quia in hoc nullam facit injuriam Domino, cum rem ejus in eodem statu reponat, in quo antè inventi, & a quo non tenetur extrahere cum æquali suo damno: hoc est præcipuum contrariæ partis fundamentum. Verum falsum est, quod assumitur, nimirum in hoc nullam fieri injuriam Domino; 1. quia falsum est rem poni in eodem statu, ac antè; fur enim advertens, se in suspicionem furti venire, rem diligentius occultabit, aut longius distrahet, sicque erit in peiori statu, quam antè, quia difficilior recuperabilis. 2. dato quod res non ponatur in peiori statu, quam antè, saltem ponitur in peiori statu, quam si de facto apud emptorem, ubi est securè: atqui id non fit sine injuria Domini: ergo. Prob. Min. Melioratio rei, quæ, quæcumque sit, pertinet ad Dominum, quem semper & ubique clamat; atqui status securitatis apud emptorem est quædam rei melioratio: ergo non potest ab illo statu extrahi, & in peiori reponi absque injuria Domini.

Ex quibus omnibus videtur mihi, non magis esse emptori licitum reddere rem furtivam furi, ut recuperet suum pretium, quam mihi sit licitum tradere latroni equum mei vicini, ut recuperem meum, quem latro abstulit.

Solvuntur objectiones.

Præcipuum adversariorum argumentum jam præoccupavimus probatione ultima: insuper

Obj. 1. Nemo tenetur procurare bonum alterius, aut impedire ejus damnum cum æquali suo damno, nisi ad id teneatur ex contractu, seu quasi contractu, seu ex debito: ergo emptor bonæ fidei non tenetur reddere rem domino cum amissione sui pretii. R. 1. cum Sylvio, antecedens non esse universaliter verum, siquidem si pretium a fure recuperare non possit emptor, fatentibus ipsis adversariis, tenetur reddere rem Domino, & amittere suum pretium; debet ergo tunc suo damno procurare bonum alterius, unde D. Antec. Nemo tenetur procurare bonum alterius, &c. ex his, quæ sibi sunt propria, C. Ant. Ex his, quæ sunt propria isti alteri, N. Ant. In casu autem emptor non procurat bonum alterius ex his, quæ sibi sunt propria, sed ex his, quæ sunt in alterius dominio & proprietate. R. 2. D. aliter idem antecedens. Nemo tenetur procurare bonum alterius cum suo damno; si procuratio alterius bona sit causa damni, transeat antecedens: secus, N. Ant. Jam autem hic redditio rei furtivæ Domino, in qua sita est hæc ejus boni procuratio, non est causa tui damni, seu omissionis pretii, jam enim antè amissum est, cum illud tradidisti furi; sed causa fuit, vel furis malitia, vel tua imprudentia, aut infortunium. Hæc distinctio diligentè retinenda est pro solutione argumentorum a paritate, quæ sunt difficiliora.

Iost. Non teneor, ex Justitia saltem, rem alienam perditam & in foro inventam accipere, & Domino reddere: ergo nec a fortiori acceptam a fure cum damno meo. R. N. Cons. Disparitas est, quod in 1. casu nullus sit Justitiæ titulus, quo teneris, non rei acceptæ, neque injustæ acceptionis; in 2. autem teneris titulo rei acceptæ. Unde, si rem hanc perditam accepisses, & aliquandiu apud te retinisses, sic ut moraliter loquendo censeri illam possidere teneris ex Justitia ratione rei acceptæ eam reddere Domino per se loquendo.

Obj. 2. Contractus Emptionis cum fure est ex parte furis injustus & ex parte emptoris inustus ex errore: ergo emptor habet jus ipsum rescindendi. R. D. Conseq. ergo emptor habet jus ipsum rescindendi, hoc sensu quod possit repetere pretium suum a fure, & ad ipsum reddendum

dum iudicē cogere, C. hoc sensu quod rem alienam Domino suo peritiam possit ipsi reddere, N. propter rationes conclusionis.

Obj. 3. Dominus in hoc casu non foret rationabiliter invitatus; ergo. Probat. Ant. Nemo potest esse rationabiliter invitatus, quod magis consulam rebus meis, quam alienis: ergo. R. N. Ant. ad probat. D. Ant. Nemo potest esse rationabiliter invitatus, quod magis consulam rebus meis, quam alienis; si id facere possum non deteriorando, aut destruendo rem alienam, C. Sic in pari incendio, aut naufragio possum magis meis consulere, quam alienis. Si id facere non possum nisi deteriorando, aut destruendo rem alienam. N. Non enim possum damnari alteri inferre, ut vitam meam, cum non sint facienda mala, ut eveniant bonas: sic non possum tradere furtivum meum vicini, ut vitam meam: sic, fatentibus ipsis adversariis, non possum vendere alteri rem furtivam, ut recuperem meum pretium; quia tunc res poneretur in peiori statu, imò destrueretur moraliter respectu Domini, cui periret; quod à fortiori verum est, si reddatur furi.

Obj. 4. a paritate. 2. Si marsupium, alienum aut gladium in foro repertum tollam, & postea advertam mihi fore nocivum, puta, quod inde veniam in suppositionem facti, aut homicidii, possum marsupium, aut gladium repone in eodem loco, licet forte ab alio auferendum. 2. Depositarius non tenetur servare depositum cum majori, aut aequali damno, puta, si propter retentionem tui equi apud me depositi fur minetur surripere meum, aut ex hoc incurram suspicionem furti. Similiter, si a fure auferam vestem Petri, ut ipsi Petro reddam & fur auferat meum pallium, nec velit illud mihi reddere, nisi reddam vestem Petri, possum eam reddere. Item, si hominem manibus elatum ex fluvio vellem eripere, & alter mihi nocem inteneret, si non dimittam, possum dimittere, licet certo perituum. Item, qui res alienas salvavit ex naufragio, recipiendo eas in suam navim, exurgente nova tempestate potest illas iterum proficere in mare, ut salvet suas: ergo similiter in nostro casu possessor bonæ fidei potest rem furtivam reddere furi nolenti aliter reddere pretium, neque tenetur eum tanto suo incommodo eam reddere immediate Domino. R. Relictis variis solutionibus, quas operose adhibent Auctores, N. cons. & paritatem. Disparitas est multiplex. Prima disparitas generalis & optima, cuius jam meminimus, est, quod in his omnibus exemplis damnatum mihi sequeretur ex retentione rei alienæ: in nostro autem casu non sequitur ex retentione rei alienæ, sed ex redditione illius facta Domino, sed jam aliunde prius sequitur & positum est; tunc scilicet quando dedi meas pecunias furi. Unde imputari non debet retentioni rei ut in objectis casibus, seu ejus redditioni facta Domino, sed vel malitie furis, qui vendidit quod non erat suum, vel imprudentie meæ, aut adversæ fortunæ. Quapropter, sicut non possem hanc rem alteri vendere ad recuperandum pretium jam amissum, ex ipsis adversariis, ita nec furi reddere. Secunda disparitas, quantum ad exempla posita sub numero secundo, est, quod in his utiliter res Domini geram, atque ex charitate agam in solum ejus commodum: & ideo ea lege subintellecta, quasi ex contractu tacito, quod nullum inde damnium mihi obveniat, alioquin nemo vellet in necessitate succurrere proximo. In proposito autem solum meam utilitatem intendo. Tertia disparitas est, quod in pluribus casibus citatis agatur de bonis vite, aut famæ, quæ sunt longè præstantiora bonis fortunæ: in nostro verò casu agitur de equali damno fortunæ. Porro censetur Dominus consentire, ut rem meam præstantioris ordinis salvem cum ejus longè inferiori detrimento, alioquin foret irrationabiliter invitatus.

Obj. 5. ab auctoritate. 1. cap. In *Litteris*, de restit. spoliatorum, & l. 3. §. 3. ff. *Quod vi aut clam*, statuitur furem, seu possessorem malæ fidei esse ante omnia restituendum. 2. *L. Bona fides* 3. ff. *Depositum vel contra* dicitur quod si fur apud me rem furtivam deposuerit, eam ipsi debeam restituere 3. S. Th. infra q. 66. art. 3. ad 3. dicit id, quod per rapinam ablatum est, esse rapientis quoad detentionem, unde videtur sequi quod ipsi sit restituendum. R. Ad 1. Leges laudatas loqui de spoliato, seu violento a possessione dejecto, qui secundum Jura ante omnia restituendus est, maxime cum non certo constat esse iniquum possessorem. 2. lex *Bona fides* agit de depositario ignorantem, depositum esse furtivum. Unde ibidem addit, quod si dominus comparet cum fure, Domino sit restituendum. Ad 3. Id, quod per rapinam ablatum est, dicitur esse rapientis quantum ad detentionem; quia, quan-

dam habet, incumbit ipsi custodia, ut opportune illud reddat Domino, non autem quod, ubi semel est extra ejus potestatem positum, debeat ipsi potius reddi quam Domino.

Nota. Quidam excipiunt a conclusione eos, qui palam in publicis nundinis emunt bona fide res furtivas, vi quarundam legum, quibus statuitur, ut omne, quod in publicis nundinis emitur, transeat in dominium emptoris, etiam si postea deprehendatur esse furtivum; & hoc propter bonum commune, ut nempe hoc pacto augetur commercium, & magis alliciantur Mercatores ad tales nundinas. Quapropter hujusmodi legibus, si verè existant in certis Provinciis (non enim puto esse generales) videntur posse stare emptores bonæ fidei tamquam justis, sicut alibi dictum est de prescriptione. Dico: Emptores bonæ fidei; non enim est præsumendum, quod leges velint favere emptoribus malæ fidei, qui furtibus participant; sic enim forent injustæ.

Petes, utrum si is, qui rem furtivam bona fide emit & eadem bona fide durante alteri vendidit, res illa debeat adhuc reddi Domino? R. affirmativè; militat enim semper eadem ratio, ac ante.

Sed cujus dispendio? an primi, an secundi emptoris? R. Dispendio primi emptoris, qui debet rescindere contractum cum secundo emptore reddendo illi ejus pretium, & rem adhuc extantem vero Domino. Nec sufficit, si cedat secundo emptori actionem, quam habet in rem; quocumque secundo emptor nullum habuit negotium. Ratio est, quia est forte venditor secundum legem civilem, de quibus infra Tract. de contract. Diss. 3. art. 7. §. 1. & Diss. 4. a. 6. §. 1. acquirit dominium pretii; istud tamen dominium est infirmum & vinculatum, quatenus venditor tenetur secundum easdem leges & naturam contractus de evictione rei venditæ; hoc est, tenetur emptorem indemnem servare, si rem emptam debeat reddere domino, proit debet in casu, consequenter tenetur ipsi refundere pretium.

Verum major est difficultas casu, quo secundus emptor non comparet, aut res sit consumpta, an teneatur primus emptor refundere pretium domino rei? Multi negant nec improbabiliè: quia, inquit, non tenetur tale pretium refundere domino ratione injustæ acceptationis, quia rem ejus bona fide tractavit, neque ratione rei, quia non amplius extat apud ipsum. Si dicas, nomine rei etiam intelligi ejus valorem, seu pretium, quod extat; respondet, id non esse verum, nisi in quantum ex eo factus est ditior: nondum concedunt tantum, quod, si rem plures vendiderit, quam emerit, teneatur istum lucrum excessus reddere domino rei, quia in eo tantum factus est ditior; non autem in eo, quod responderet pretio; quod dedit furi.

Nihilominus probabilius videtur, quod debeat istud pretium reddere domino rei ratione rei acceptæ adhuc existentis, non in se quidem, sed in suo valore; ita tenent Bannes, Saloniis, quos citat & sequitur Sylvius, quibus subscribitur Duellman, & alii quidam Recentiores. Sequitur ex dictis: quia primus emptor non acquisivit dominium istius pretii neque venditione, neque donatione, neque compensatione, ut modo dictum est; & quia insuper secundus emptor non intendit transferre dominium pecunie suæ nisi in dominium rei, & nisi in quantum sibi transferretur dominium rei venditæ: atqui primus emptor non est dominus rei, neque hujus dominium transfert in secundum emptorem, neque aliqua lege transfertur; ergo primus emptor tenetur istud pretium restituere; & cum non possit restituere secundo emptori, quia non comparet, aut rem in suam utilitatem consumpsit, ex ejus voluntate præsumpta tenetur restituere domino rei, ut sic compensetur, & fiat æqualitas.

Falsum est autem, quod assumunt contrarie Sententiæ Patroni, nimirum, primum emptorem non fieri ditiozem ex illo pretio; fit enim ditior ex toto; quia res, quam vendidit secundo emptori, non erat sua, ideoque non dives ex illa parte: pretium etiam, quod dedit furi, non erat tunc amplius suum, sed jam prius amissum, cum nempe illud dedit, sicque nec etiam ex hac parte dives, sed jam ex tunc in peiori statu positus: ergo retinendo istud pretium ex alieno ditescit, & ex eo toto fit ditior. Imperitiosum est autem, quod tantum dederit furi, quantum accepit a secundo emptore: acceptum enim non succedit in locum dati, quod jam ante perit, sed in locum rei venditæ.

At forte dicas, venditorem, secundum prius dictas Leges, acquisivisse dominium pretii rei venditæ. Sed quid tunc? Etiam esset malæ fidei, nihilominus etiam secundum dictas Leges acquireret dominium istius pretii, nec tamen ideo posset illud retinere. Item acquirit dominium lu-

lucris accrescentis, si rem vendat pluri, quam emit; & tamen secundum adversarios tenetur hoc lucrum accrescentis reddere vero rei domino. Dicendum itaque, hoc pretii dominium, quod vi Legum acquirit, esse, ut jam observavi, debile, & vinculatum, quodque debeat cedere domino rei venditæ, si res ipsa, cujus locum tenet, reddi non possit, ut sic fiat æqualitas, & res assuretur secundo emptori.

ARTICULUS XI.

De Restitutione faciendâ a Possessore malæ fidei.

§. I. Quid & quantum restituere teneatur Possessor malæ fidei?

Dico 1. generalitèr: Possessor malæ fidei in tantum tenetur restituere, in quantum damnificavit, ita ut mensura restitutionis sit quantitas damni illati: quia id requiritur, & sufficit ad restaurandam æqualitatem, quam injustè violavit. Ex hac generali assertionem, & Regula sequitur, & specialibus

Dico 2. Possessor malæ fidei, ultra quod tenetur restituere ea omnia, ad quæ diximus teneri possessorem bonæ fidei ratione rei acceptæ, nimirum rem extantem, fructus omnes naturales, mixtos, & civiles extantes, aut id, in quo ex his factus est ditior; insuper tenetur ratione injustæ acceptationis restituere, 1. valorem rei, quocumque modo etiam casu perierit; 2. omnes fructus, exceptis industrialibus, quos ipse percepit, etsi dominus non percepisset, aut quos dominus legitime percepisset, etsi ipse non percepisset, sive extant, sive non, sive ex his sit factus ditior, sive non: 3. omnia lucra cessantia, aut damna emergentia domino ex injusta acceptatione, aut detentione rei suæ. Quia iniquus possessor per injustam acceptationem, & detentionem rei alienæ horum omnium damnorum est causa voluntaria, & tenetur reparare justitiam, & æqualitatem, quam sic voluntariè violavit: hæc autem reparatio fieri non potest nisi per omnium prædictorum restitutionem. Magis explicatur.

Dixi 1. Quocumque modo perierit. Hoc intellige tam de re, quam de fructibus, modo possessor non purgaverit moram exhibendo, se paratum restitutioni, quam recusavit dominus; ex tunc enim, si res sine culpa possessoris perierit, non debet ipsi imputari, sed domino, qui noluit eam apud se habere, & ejus periculum in se suscepit. Utrum possessor iniquus teneatur restituere, si eodem modo res esset peritura apud dominum, dicam affirmativè infra. Dixi 2. Fructus, quos percepit iniquus possessor, etiam si dominus non percepisset. Quod intellige etiam de fructibus rei, singulari industria comparatis: quia res fructificat domino, ideoque fructus illi acquiruntur, quibus proinde dicitur privatur, damnificatur, quantumvis ipse alias non percepisset. Dixi 3. Fructus, quos dominus percepisset, etsi iniquus possessor non percepisset: quia injusta rei detentione est causa hujus lucri cessantis. Unde *L. Fructus ff. de rei vindic.* habetur: *Fructus, non modo percepti, seu qui honestè percipi poterant, estimandi sunt.* Dicitur qui honestè, & ego dixi qui legitime percipi poterant; quia dominus irrationabiliter exigeret fructus, quos iniquus possessor non percepit, nec ipse non nisi via illicita percipere potuisset: nemo enim censetur pati damnium, dum privatur eo, quod sine peccato haberi non potuit.

Nota bene. Hactenus dicta vera sunt, quandiu res existit, sive maneat apud iniquum possessorem, sive ad alium quem alium quocumque modo transeat; ita quod, si iste alius fructus percipiat, & eos non restituat, restituere teneatur, qui primus injustè possedit. Similiter, si iste alius fructus non percipiat, quos percepisset dominus; quia, qui primus injustè possedit, est causa totius istius damni. Quandiu autem res non amplius existit, non amplius fructificat domino, & tunc non tenetur iniquus possessor restituere fructus, qui perciperentur, si adhuc existeret, nisi casu quo apud dominum diutius perstitisset, & ex ea fructus posteriores ipse percepisset; tunc enim etiam illos secundum quantitatem spei iniquus possessor tenetur restituere, quia est etiam causa istius damni, seu lucri cessantis.

Utrum vero iniquus possessor teneatur restituere fructus, quos ex re annue extante potuisset labore ordinario percipere, sed quos ex negligentia non percipit, nec dominus percepisset? Quidam negant, saltem pro foro conscientie; quia tunc in nullo est damnificatus dominus. Non tamen improbabiliè sustineri potest, quod teneatur: quia hoc ipso quo rem alienam injustè possidet, incurrit onus eam

debitè custodiendi, & colendi, sicque intendit dominus, & in hoc fortuna ejus est melior. Nec dubito, quin in foro externo iniquus possessor condemnetur ad restituendos tales fructus, labore ordinario comparari solitos: secus, si ageretur de fructibus labore extraordinario comparandis; hos enim irrationabiliter exigeret dominus.

Dixi 4. *Exceptis fructibus industrialibus*; quia, sicut dictum est de possessore bonæ fidei, hi non sunt fructus rei, sed industrie possessoris, cui proinde cedunt, & non domino. Undè, si ex furtiva pecunia, vel alia re de se sterili, negotiando, commutando, ludendo, &c. reportes lucrum, tuum est.

Ceterum circa rem frugiferam nota hic pro praxi, eam ita fructificare domino, ut secundum Jura usufructuarius, qualis est Villicus, Colonus, &c. non fiat Dominus fructuum v. gr. segetum, nisi eos collegerit, seu de terra abscederit. Ita expressè Inst. l. 2. tit. 1. §. 36. his verbis: *Is vero, ad quem usufructus fundi pertinet, non aliter fructuum dominus efficitur, quam si ipse eos perceperit (seu de terra abscederit.) Et ideo, licet matris fructibus, nondum tamen perceptis, decesserit, ad heredes ejus non pertinent, sed domino proprietatis acquiruntur.* Hic tamen tenetur refundere culturæ expensas.

§. II. Utrum malæ fidei Possessor teneatur præstare valorem rei, si apud ipsum pereat, certò peritura apud Dominum?

Suppono ut certum apud omnes, quod, si res esset peritura apud dominum per injuriam tertii, fur, seu possessor iniquus teneatur restituere; v. gr. occidit equum Caii, quem Titius certò occidisset; furatus es, & consumpsisti vinum, quod fur alter pariter surripisset, si mansisset apud dominum, teneris: quia, sicut ille alter furando contraxisset obligationem restituendi, ita tu prius furando prius contraxisset obligationem. Conveniunt etiam Theologi, quod si rem certò perituram apud dominum ab imminente excidio servasti, puta, equum ab incendio, merces a naufragio, ovem a faucibus lupi, & hæc apud te injustè retenta, & servata alio casu perierit, teneris præstare ejus valorem, deductis expensis, & æstimatione laboris in ea salvanda; quia res quocumque modo superest, domini est: neque ex hoc quod in periculo fuerit, & ex illo erepta, dominium amittit, sed id ejus fortunæ cedit: cum ergo jam sis iniquus detentor, teneris etiam de casu fortuito.

Sed difficultas est casu, quo res pereat apud possessorem malæ fidei, certò peritura eodem modo, & eodem tempore apud Dominum: v. gr. furatus est equum, qui moritur apud te, eodem modo moriturus apud Dominum? Navi vectus merces alterius surripisti, ortæ tempestate omnes merces cum tuo furto pereunt. Non pauci, nec ignobiles Theologi docent, quod in tali casu possessor malæ fidei non tenetur ad restitutionem. 1. quia ex ejus injusta acceptatione nullum damnium sequitur Domino, cum res accepta eodem modo apud ipsum certò perisset; injusta autem acceptio non obligat ad restitutionem nisi in quantum est damnificativa, 2. quia res perit Domino. Ita Lessius, Delugo, Molina, Covarrubias, Sylvestr. Navarr. Sporer, Henno, Pontas, verbo *Restitutio*. Cas. IX. Inter illos Auctores quidam excipiunt casum, quo res ex culpa possessoris perierit, puta quia neglexit, aut voluntariè destruxit. Sed, ut mihi videtur, non satis consentaneè suis principiis; quod enim ex nova culpa, aut ex casu tantum res pereat, non sequitur majus damnium Domino, cum supponatur utrobique ipsi certò aliunde peritura. Ceterum hæc Sententia etiam generalitèr propugnata est probabilis, attamen puto probabilius, esse hic distinguendum.

Dico: vel res manifestè appareat certò brevi peritura, vel non appareat manifestè: si primum, non tenetur restituere possessor malæ fidei; si secundum, tenetur. Primum partem non puto a quoquam esse negandam: quia res in illo casu nullius est valoris, & habetur moralitèr perita; unde ex injusta detentione nullum damnium sequitur Domino. Ratio exemplis clarior fiet: Furatus es equum ita manifestè ægrum, ut ante diem elapsum sit moriturus; surripuisti boves, oves, ab irruentibus hostibus jamjam abducendos, suppellectilem ab incendio, merces a naufragio, & hæc apud te eodem casu, & eodem moralitèr tempore abducuntur, aut pereunt, non teneris quidquam restituere: quia res ille tempore ablationis nullius erant valoris, nec exierunt apud te valere Domino, cum semper fuerint in eodem periculo. Idem videtur di-

gendum, si occidas hominem, ex morbo visibili, aut justo iudicis sententia certo, & cito moriturum: quavis enim sis reus homicidii, tamen quantum ad damna sequentia homo in hoc statu non venit in aestimationem. Quod si in his, & similibus casibus res non appareat certo peritura, sed probabiliter tantum, restitutio erit facienda, in quantum attento periculo valor rei minuitur iudicio viri prudentis.

Secunda pars, quae maxime controversatur, est Palud. Wigers Ethic. amor. Daëlmán, qui dicit nunc esse Sententiam communem, videturque conformior Doctrinae D. Th. (*Hic a. 6. o.*) qui docet generaliter possessorem male fidei teneat ad restitutionem, non solum ratione rei acceptae, sed etiam ratione iniuriarum actionis, etiamsi res apud ipsum non remaneat, non distinguens, an peritura esset apud Dominum, vel non. Et Glossa in L. Item si ff. de rei vindic. dicit expressè: *Si verò ab initio fuit male fidei, omnino tenetur de casu, etiam si eodem modo perisset apud alterum.*

Prob. ratione t. Possessor male fidei duplicem contrahit obligationem, unam ratione rei acceptae, alteram ratione iniustae acceptionis, seu detentionis; & Dominus duplicem actionem, unam in rem, alteram in personam possessoris. Re pereunte extinguitur quidem prima tam obligatio, quam actio, at non secunda: haec enim tantum permanet, quando fur non reparat iustitiam, & aequalitatem, quam violavit, ut patet & ex natura rei, & communi sensu Theologorum, ac Jurisperitorum; atqui haec reparatio non fit nisi per restitutionem: ergo, si non fiat restitutio, Dominus laeditur in hoc suo iure, seu actione.

Dices, injustam acceptionem non parere obligationem restituendi in fure; neque actionem Domino tribuere, nisi in quantum est damnificativa; atqui non est damnificativa in casu, quo res aequè perisset apud Dominum: ergo. R. N. Min. Hoc ipso enim quo Dominum rationabiliter invitum re sua non manifestè peritura spoliatus, quamvis sit illa ex alia causa ignota privandus, efficitur ipsi damnum inferens; quia in tali casu res tanti valet secundum aestimationem hominum, ac si non esset peritura. Quod autem Dominus sit cràs eadem re ex causa non praevisa privandus, non facit, quod tu illam causam praeveniens damnum ipsi non inferas; sed solum facit, quod damnum, quod cràs alteri causae, puta igni, vel naufragio foret imputandum, tibi nunc imputetur: sicut, quod tu occidas hodie Titium, qui cràs esset occidendus a fera, non facit, quod non sis verè homicida, verus damnificator, & verè obligatus restitutioni; sed solum facit, quod haec occisio tibi hodie imputetur, alioquin cràs imputanda foret. Et mirum videtur, quod adversarii haec omnia etiam quantum ad obligationem restituendi concedant, si Titius cràs foret iniuste occidendus a causa libera, & negent de causa necessaria; siquidem occisio futura per causam necessariam non magis impedit, quin tua praesens occisio sit damnificativa, quam si foret a causa libera.

Prob. 2. Qui iniquè surripit rem alienam, aut eam iniuste detinet, iuxta hominum apprehensionem, & omnia iura suscipit in se omne rei periculum: & ideo dicitur communitè, quod Possessor male fidei teneatur de casu fortuito, ita quod in tali casu res non pereat Domino, sed injusto Possessori; sicut vi contractus assecurationis res perit assecuratori, & non Domino, hoc sensu quod assecurator debeat refundere valorem rei Domino: unde in nostro casu eatenus fit melior conditio Domini, quod acquiritur jus, ut res sua, seu ejus valor ipsi reddatur ad quemcumque statum pervenerit: ergo, si non reddatur, laeditur in isto iure, & damnificatur. Confirm. Si res, heri empti, & tradita non soluto pretio, pereat hodie apud emptorem, eodem modo peritura apud venditorem, teneatur emptor nihilominusolvere pretium, de quo fuit heri conventum: ergo similiter fur tenetur praestare valorem rei furtivae. Patet Conseq. Quia obligatio furis ex delicto parva non magis extinguitur per interitum rei, quam obligatio emptoris ex contractu. Et si dicas, per emptionem, & traditionem emptorem fieri Dominum rei, rem autem perire Domino; dicam ego ut supra, furem per injustam detentionem suscipere in se omne rei periculum, & sic illi rem perire hoc sensu, quod ejus valorem praestare teneatur. Ex dictis patet responsio ad utramque rationem Adversariorum.

Obijciunt insuper: Homicida non tenetur restituere haeredibus defuncti expensis Funeris, quia hoc damnum certo debet illis contingere: ergo nec alia damna, si certo essent eventura. R. N. Conseq. Disparitas est, quod haec expensae certo, & communitè sciuntur faciendae, unde

minuunt aestimationem hominis occisi quoad valorem damnorum ex ejus morte sequentiam, ut dictum est in prima parte Conclusionis; secus, quando non scitur communitè certo eventurum damnum.

Opponit Covarrubias Legem. Item si ff. de rei vindic. leg. 6. tit. 1. Verum ista Lex decernit quidem esse restituendum, si res ablata fuisset Domino utilis: at non negas esse etiam restituendum, etiam si non foret utilis ipsi: imò Glossa in eam Legem, ut vidimus, dissentit affirmat esse restituendum.

Opponit insuper Pontas verbo Restitutio. casu 9. L. Si vehenda §. 1. ff. ad Legem Rhodiam de actu l. 14. tit. 2. ubi statuitur, quod Nauta, qui merces e meliori navi in deteriolem transtulit, si pereat deterior navis, teneatur ad restitutionem mercium; si autem utraque pereat, non teneatur: ergo similiter fur, si res furtiva apud ipsum pereat, alioquin etiam certo peritura apud Dominum. R. N. Confirm. Disparitas est, quod iste Nauta non sit fur, nec ideo suscipiat in se omne rei periculum, sed solum periculum deterioris navis qua deterior est, in quam invito Domino merces transtulit: ubi autem ambae pereunt, non cessatur deterior perire, quia deterior est, sed vi tempestatis. Ex his inferet, quod, si equus furtivus inopinatio apud furem moriatur, domus male possessa incendio conflagret, vinum furtivum acescat, vestis vermibus corrumpatur ex causa, quae non erat cognita, nec praevisa tempore oblationis, teneatur fur praestare valorem rei, non minus quam emptor, ut dixi, qui eam tunc eodem pretio emisit, teneatur ex contractu ejus pretium solvere.

§. III. Ad quid teneatur Possessor male fidei ratione meliorationis, aut deteriorationis?

Am notavimus supra, duplicem esse tam meliorationem quam deteriorationem, unam intrinsecam, alteram extrinsecam: require Art. 9. Notam. 4. Dico 1. Possessor male fidei tenetur restituere rem, seu ejus valorem secundum statum meliorationis sive intrinsecae, sive extrinsecae, quem habuisset apud dominum, si possessor iniquus eam non surripisset, aut detenuisset, etiamsi apud ipsum in eo optimo statu non fuerit. Est communis, & certa: quia, cum per injustam suam ablationem, aut detentionem impediunt hanc optimam rei meliorationem apud dominum, evidens est, quod teneatur eam compensare. Hinc, si furatus sis triticum valens decem, quod dominus servaturus erat in tempore, quo valuisset quindecim, tu verò consumpsisti, aut vendidisti tempore, quo valebat tantum decem, teneris refundere quindecim. Furatus es bovem macrum, qui apud dominum impinguatus fuisset, apud te autem perit, aut remansit macer, sive ex casu, sive ex tua negligentia, teneris praestare valorem bovis pinguis: deductis tamen expensis, quas fecisset dominus. Quod si futura melioratio apud dominum erat incerta, licet quidam existimant, restitutionem esse faciendam secundum summam meliorationem, quae sperabatur; verius tamen videtur esse faciendam secundum valorem spei, seu aestimationem meliorationis ut speratae; quia melioratio incerta non tanti valet, quanti valet certa.

Difficultas gravior est de melioratione rei apud possessorem male fidei, quae non fuisset apud dominum, aut ipsi non profuisset, sive quia ante rem distraxisset, aut consumpsisset, sive quia in aliud tempus servasset; an ad eam teneatur Possessor male fidei. Circa quam difficultatem magna est Sententiarum diversitas. Quidam affirmant de melioratione intrinsecam, negant de extrinsecam. Quidam affirmant de melioratione, negant de deterioratione. Quidam distinguunt inter deteriorationem casualem, & deteriorationem ex negligentia, aut industria. Quidam tandem distinguunt tempus consumptionis, et alienationis factae. Et haec omnia satis intricatè, & parum sibi consentaneè. Quapropter, insistendo principiis jam positus,

Dico 2. Possessor male fidei tenetur praestare valorem rei secundum optimum statum meliorationis, tam intrinsecam, quam extrinsecam, quem apud ipsum habuit, quamvis haec melioratio non fuisset apud dominum, aut ipsi non profuisset. Sit Casus: Furatus est pullum, qui apud te adolevit in equum robustum, & deinde seniit; in melioratio, & deterioratio intrinsecam: furatus es mense Septembris mensuram tritici valentem 3. aureis, in mense Januario apud te servatum valet 4. aureis, mense Junio vicina messe valet tantum 3. aureis, aut minus; in melioratio, & deterioratio extrinsecam. Teneris, inquam, reddere valorem equi generosi, & 4. aureos pro mensura tritici, etiamsi talis melioratio domino non profuisset, sive qua-

ante tempus meliorationis equum, aut frumentum distraxisset, sive quia usque ad tempus deteriorationis servasset: ita quod, si tempore quo restituis, res adhuc extet apud te in deteriori statu, non sufficit eam ut talem restituere, sed teneris aliquid addere ad compensandam meliorationem praeteritam. Ita S. Raymundus l. 2. tit. 6. de furtis, §. 3. his verbis: *Cum redditur aestimatio rei, non tantum est considerandum tempus, in quo res fuit subrepta, & tempus, in quo perit, sed etiam totum tempus medium, & fiet aestimatio secundum illud tempus, in quo plurimi valoris fuit res.* Itaque probat ex L. In re furtiva, ff. de conditione furtiva, l. 13. tit. 1. Sic autem habet Lex: *Si ex causa furtiva res condicatur; cujus temporis aestimatio fiat, queritur. Placet tamen id tempus spectandum, quo res usquam plurimi fuit, maxime cum deteriorem rem factam fur dando non liberatur, semper enim moram fur facere videtur.* Ita etiam Navarr. in Man. cap. 17. n. 20. & alii plures.

Prob. ex praecedentibus principiis. 1. Res quando permanet, melioratur domino, sive intrinsecè, sive extrinsecè; & quanti valet quovis tempore, tanti domino valet: ergo male fidei Possessor domino damnum inferit, dum eam ipsi non restituit secundum quod pluris valet. Neque dicas, etiam decrescere domino; id enim falsum esse ostendimus §. praeced. quia, ut ibi probavimus, possessor male fidei suscipit in se omne rei periculum, & inde fit melior fortuna domini: unde, sicut, si res casu apud ipsum furem pereat, etiam certo peritura apud dominum, teneatur eam quasi extantem in suo valore praestare, ut dictum est; ita, etiamsi res deterioretur, quamvis apud dominum esset deterioranda, tenetur reddere non deterioratam, sed ut ante melioratam apud se. 2. Quando possessor male fidei rem alienam detinuit tempore majoris valoris sive intrinseci, sive extrinseci, teneatur reddere ut erat, & ex tunc ratione iniustae detentionis contrahit obligationem eam restituendi secundum illam summam valorem, quem habebat, non secus, ac si tunc primo accepisset: *Detinere enim est, quod alteri debetur*, inquit S. Th. (*Hic a. 3. ad 3.*), *eandem rationem nuncium habet cum acceptione iniustae*; atqui obligatio, semel contracta ratione iniustae acceptionis seu detentionis, sicut non extinguitur per fortuitum rei interitum, ut dictum est, ita nec per subsequentem deteriorationem, sed per solum restitutionem, aut domini condonationem. Confirm. Juxta adversarios, saltem plures, si possessor male fidei rem alienam consumpsisset, aut distraxisset tempore summi valoris, teneatur eundem valorem domino restituere, non obstante quod foret in posterum deterioranda, aut quod dominus ea pro tunc non fuisset usus; atqui haec obligatio non oritur ex rei consumptione, aut alienatione, sed ex iniusta illius detentione, seu ex eo quod melioratio sit domini; si enim pro tunc eam non consumptam, aut alienatam reddere vellet, deberet indubie reddere prout est de facto meliorata: ergo.

Obj. 1. Si furatus sim minimam plantam, quae in meo fundo plantata magnam excreverit in arborem, non teneor restituere magnam arborem, id saltem est inaudium: ergo. R. 1. N. Conseq. Disparitas est, quod planta aliena in meo fundo plantata fit mea per plantationem & radicationem L. Actè §. Si alienam ff. de acquirendo rerum dominio l. 41. tit. 1. Unde mihi fructificat & melioratur, remanente solum obligatione reparandi damnum, quod intuli domino, eam eradicando, & auferendo; equus vero in stabulo meo non fit meus, nec triticum in horreo meo fit meum. Sed dato, hanc arborem meliorari primo domino, R. 2. D. Ant. Non teneor restituere magnam arborem praecise secundum se, N. Ant. ratione expensarum deducendarum, C. Ant. Quia si expensae, quas in illa arbore excelsioris feci, simul cum aestimatione laboris, industriae, ac fundi mei, quem occupat, conferantur cum melioratione, & deducantur, vix illa melioratio illas expensas superabit. Posse autem deduci expensas, probabilius dicemus infra.

Obj. 2. cum Lessio: Possessor male fidei tempore, quo res est apud ipsum meliorata, melioratione qua non fuisset usus dominus: non teneatur secundum illam meliorationem restituere ratione iniustae damnificationis, sed tantum ratione rei acceptae; atqui, qui tenetur tantum restituere ratione rei acceptae re pereunte cessat obligatio, ergo, dum res est deteriorata, non tenetur restituere secundum praeteritam meliorationem. Prob. maj. Dominus ex privatione hujus meliorationis nullum passus est damnum, cum supponatur, quod ea non esset usus: ergo. R. N. maj. ad prob. N. Ant. Quia, quando res erat in summo valore, puta quinquaginta, erat domini, & valebat domino

quinquaginta, non obstante quod ea tunc non esset usus, nam non usus rei valorem ejus non minuit, nec tollit jus domini ad illam: tenebatur autem iniquus possessor tunc eam secundum hunc summum valorem restituere domino; & non restituendo in tantum ipsum damnificavit.

Obj. 3. cum eodem. Saltem, ubi agitur de argumento ro extrinsecò tantum, si possessor male fidei illam vendat in eo statu augmenti, in quo non vendidisset dominus, videtur quod illud possit retinere, & restituere domino pristinum rei valorem, quia tale augmentum in pretio est fructus industriae: ergo. R. N. Ant. & ejus prob. Patet ex dictis Art. 9. de possessore bonae fidei sub finem. Etenim, ut ibi dictum est, possessoris industria quidem est, quod tali tempore, aut loco res reservetur, sed quod ibi aut tunc carius vendetur, non facit industria possessoris, sed raritas mercium & copia emptorum; seposita enim ejus industria, res ibi aut tunc tanti valerent.

Insuper quod possessor iniquus rem reservet ad tempus meliorationis intrinsecam, & tunc vendat, augmentum pretii non censetur fructus industriae, quem sibi retinere possit, etiam juxta Lessium: ergo nec ibi agitur de augmento extrinsecò; quocumque enim modo crescit rei valor, crescit domino, & consequenter pretium ejus, quod loco rei succedit. Et sanè, si tale augmentum concedatur possessori male fidei, stimulus additur furibus & raptoribus res alienas diutius detinendi, ut capta occasione meliorationis, discescant ex alieno sive opere restituendi. Non nego tamen, posse deduci expensas, & stimari singularem industriam pro parte augmenti, si quae revera concurrerit ad illud, qualis censetur, dum quis per epistolas, aut amicos, inquit de pretio rerum venalium in aliis locis, & illuc merces transferit.

Inst. cum eodem: Juxta L. Qui vas §. ultimo ff. de Furtis, declaratur fur is, qui pretium rei suae a fure vi extorquet: ergo pretium illud est furis, & non domini: ergo sufficit, ut ex illo pretio tantum domino reddat, quantum necessarium est ad reparandum damnum ex ablatione rei, & pro tunc illatum. R. 1. Data prima consequentia, N. secundam. Est enim pretium illud esset fuis, teneatur tamen totum reddere domino; quia est rei suae pretium, & in toto fur eum damnificavit, dum rem suam tanti valetentem non restituit. R. 2. N. 1. consequentiam, Quamvis enim dominus non possit vi extorquere pretium rei suae a fure, quia nempe omnes compensationes vi factae sunt illicitae, & hoc prohibetur lege cit. non sequitur, quod sicut pretium sit furis, sed vel est adhuc emptoris, qui cum rei emptae dominum non accepit, censetur noluisse a se abdicare dominum pretii sui; aut si abdicavit, non nisi ex praesumpta intentione, ut dederet domino rei sicque secura fieret ejus acquisitio. Notandum hic, quod notavimus §. 1. de fructibus rei furtivae, scilicet huc usque dicta de ejus melioratione vera esse, sive res maneat apud iniquum possessorem, sive ad aliud quocumque modo transeat: require loco citato.

Ex dictis huc usque, praeter casus jam positos in conclusionibus, hunc sequentem sic resolve. Furatus es abhinc quinque annis pecunias, aut merces, quas statim absumpsisti, aut absumendis distraxisti: postea plures valuerunt, aut etiam forte nunc, cum vis restituere, plures valent: quem valorem teneris restituere? R. Si dominus in tempore majoris valoris eas esset reservaturus, teneris hunc majorem valorem restituere ex 1. conclusione; quia per injustam tuam ablationem es causa illius damni, aut lucri cessantis. Sed, si dominus in id tempus non erat eas servaturus, teneris tantum restituere, secundum quod res, vel pecuniae valebant tempore ablationis, quia in hoc tantum dominum damnificasti. Nec teneris de melioratione, quae fuisset, si res permansisset; quia revera non fuit; nec ex eo quod non fuerit, dominus patitur damnum, siquidem ut supponitur, in id tempus eas non servasset. Quod si sit dubium, an dominus in tempore majoris valoris res suas servasset, restituendum est plus minus pro ratione dubii: & advertendum, quod in dubio magis domino; quam furis, sit favendum. Ut autem scias quanti res tempore ablationis valebant, consulenda sunt publicae locorum tabulae, ubi pretia rerum usualium & pecuniarum scribuntur, aut mercatorum regesta.

§. IV. Utrum Possessor male fidei possit deducere expensas, in re conservanda vel melioranda factas?

Suppono 1. non posse deducere expensas voluptarias; sed, sicut dictum est de possessore bonae fidei, posse deducere eas auctere, si a re abque ejus deterioratione se-

parari possunt. Suppono 2. quod in foro externo possessor male fidei in pecuniam delicti privatur expensis quibuscumque; cui sententia utpote iuste parere tenebitur, ita ut peccet, si clam aliquid pro illis retineat. Suppono 3. secundum leges humanitatis dominum debere aliquid remittere possessori male fidei propter expensas necessarias & utiles, quas ipse in re sua servanda, ac melioranda facere debuisset.

Quaestio est itaque: an expensae necessariae, aut utiles in foro conscientiae, & secundum rigorem Iustitiae possint a fure deduci, & ad eas refundendas teneatur dominus. Negant Steyart, Piette, Henno; affirmant Lessius, Wigers, Sporer, Boudart, Daëlmán, Pontas verbo *Restitutio* cas. 83. & communius: unde

Dico: Probabilis est, expensas necessarias, aut utiles posse in foro conscientiae deduci a possessore male fidei, & dominum teneri secundum Iustitiam eas ipsi refundere. Est D. Th. in hac parte q. 100. a. 6. ad 3. ubi cum dixisset, quod, si monachum accepit Beneficium, teneatur restituere fructus, non solum perceptos, sed etiam eos, qui percipi poterunt a possessore diligenti, subdit: *Quod tamen intelligendum est de fructibus, qui supersunt deductis expensis factis causa fructuum.* Quod autem dicit Aurelius Piette, hoc esse verum in hoc casu, non ex natura rei, sed ex ordinatione Ecclesiae, fictio est. Prob. conclusio ratione. Inter possessorem male fidei & dominum rei intercedit virtualis & tacitus contractus, quo dominus adstringit furem, ut, si rem non restituit, eam conservet, & in quantum potest, perficiat, faciatque ideo expensas ad haec necessarias: ergo teneatur dominus has expensas tanquam ex eius voluntate factas refundere, dum res ipsi restituitur. Prob. Ant. Quia jure praesumitur, dominum velle, ut res sua maneat integra, imò &, in quantum possibile est, augeatur in suum commodum: ergo ad haec intendit obligare furem in suppositione, quod rem restituat. Confirm. Possessor bonae fidei potest deducere expensas, quia censetur eas fecisse ex commissione domini implicita: ergo similiter possessor male fidei.

Respondet Franciscus Henno, dominum non curare, an res sua ab iniquo possessore detenta conservetur, necne, quia, si ve pereat, si ve non, debet indemnificari; secus quando detinetur a possessore bonae fidei, unde fit, quod in hoc ultimo casu certo adsit voluntas tacita domini, ut res mediis necessariis conservetur, non in periculo. Sed contra: Quamvis res detenta ab iniquo possessore debeat reddi domino, si ve pereat, si ve non; aliunde tamen domini interest, ut servetur, & perficiatur. 1. Quia longè facilius obtinetur restitutio rei adhuc extantis, quam ejus valoris, dum perierit. 2. Quia ex re extante potest possessor iniquus percipere fructus, quos non perciperet dominus, qui tamen ipsi cederet, & quorum restitutio deberet ipsi fieri; sed quibus privaretur, si res perierit. 3. Quia dominus solet magis affici ad suam rem, quam ad ejus valorem. Jure ergo his de causis praesumitur, cum velle, ut servetur & perficiatur in suum commodum.

Et hinc patet Responsio ad praecipuum adversae Sententiae fundamentum, hoc scilicet: Possessor iniquus has expensas fecit pro libitu sine mandato & commissione domini, sique censetur eas liberaliter fecisse, aut eas deserere, nec proinde jus habet illas repetendi: sicut, qui pro libitu laborat in alterius agro, non requisitus a domino, nihil potest ex Iustitia ab eo exigere. R. enim negando Ant. & ad paritatem, disparitas est, quod, dum quis in alterius agro non requisitus laborat, cum ejus opera non indigeat dominus, non censetur ei dedisse etiam tacite ullam commissionem laborandi; at possessoris iniqui opera indiget dominus, quando rem ejus detinet, & ideo censetur obligare ipsum, ut expensas rei servandae & meliorandae necessarias faciat.

Obj. insuper: Res est domini: ergo expensae, quae huic accreverunt, sunt etiam domini: ergo iterum non teneatur eas restituere. R. Retorquendo argumentum: Res apud possessorem bonae fidei est domini: ergo expensae, quae huic rei accreverunt, sunt etiam domini: ergo iterum non teneatur eas restituere. Hoc ultimum negant adversarii; & bene, quia revera teneatur has expensas restituere possessori bonae fidei; non quia non sunt suae, sed quia possessor eas fecit ex tacita ejus commissione. Ita possessor male fidei.

Obj. iterum ab absurdo. Ex sententia nostra sequitur, quod, qui mala fide detulit equum alienum per decem annos, poterit deducere expensas, quae quandoque superabunt valorem equi; sique dominus tenebitur emere rem suam, & quandoque plus, quam valeat; quod est absurdum. Antequam respondeam, solvant adversarii hoc aliud longè minus absurdum ex sua Sententia. Furarius es gallinam, quae apud te per plures annos detenta pluri-

ma ova edidit, ex quibus plures pullos educi curasti; hi pulli iterum ova innumera ediderunt, & ova pullos &c. Si ergo non possis educere expensas, sequitur quod pro furto unius gallinae quanloque teneberis restituere plura millia librarum; quod est longè absurdum. R. directè ad argumentum: Equidem iniquum possessorem equi posse deducere expensas, sed etiam debere computare & refundere domino valorem usque equi toto illo tempore; item lucrum cessans, aut damnum emergens, si quod fuerit; & per haec dominus facile compensabit expensas, aut fortè etiam transcendet.

§. V. Utrum, & quid sit restituendum a Possessore dubia fidei.

Dico 1. Qui antequam rem possideat, dubitat, an sit furtiva, seu an eam possit justè possidere, 1. peccat contra Iustitiam eam possidendo, seu acquirendo, animo sibi retinendi; quia se exponit periculo rem alienam invito rationabiliter domino detinendi, & hoc ipse injustè possidet. 2. Teneatur eam integram restituere, si facta diligenti inquisitione (ad quam teneatur, ut dictum est diss. 4. de Jure a. 2. §. 6. de rebus inventis) certo constet, rem esse alienam; teneatur, inquam, sicut possessor male fidei, quousque formato proposito eam reddendi inquisitionem instituerit; quia eò usque teneatur non solum ratione rei acceptae, sed etiam ratione injustae acceptionis, seu detentionis. 3. Si, facta diligenti inquisitione, remaneat dubium, rationi & aequitati naturalium videtur conformis, quod restituitur, non totum, ut quidam volunt (forè enim est sua) sed partem, pro ratione dubii. 4. Haec autem restitutio totius, vel partis, si non comparat dominus, debet fieri juxta praesumptam ejus voluntatem pauperibus, aut in usus pios, ut dictum est loc. cit. de rebus inventis. Hinc videntur, quantis oneribus & periculis se subjiciant, qui nulla inquisitione facta ab omnibus indiscriminatum emunt, seu acceptant, praesertim a filiisfamilias, a Religiosis, a pauperibus, a Militibus post injustas depredeationes &c. ubi subest ratio suspicandi, saltem res esse furtivas.

Dixi in conclusione *Animo sibi retinendi* quia, si rem dubiam emeret animo inquirendi dominum, & ipsa reddendi, non peccavit & potest pretium repetere, teneaturque dominus ei reddere, quia rem ejus utiliter gessit: intellige tamen, modò pretium non aequivaleret rei, sic enim rem domini non gessisset utiliter, nec dominus teneatur refundere pretium totum, sed partem tantam ad arbitrium viri prudentis.

Dico 2. Qui, postquam rem bona fide acquisivit, dubitare incipit dubio fundato, an non sit furtiva; 1. teneatur inquirere veritatem adhibita morali diligentia, majori vel minori pro rei qualitate, ut dictum est loc. cit. de rebus inventis; quia hoc ipso quo ex justis & gravibus rationibus dubitat, prudenter timere debet, ne sua possessio vincatur a contraria certitudine, & ne quod dubitat, an sit suum, sit certo alienum; quod dignoscere potest inquirendo: quam inquisitionem si omittit, exponit se periculo detinendi alienum, peccat contra Iustitiam; & fit possessor male fidei. 2. Teneatur, dum fit inquisitio, & spes superest attingendi certo veritatem, rem conservare, non assumere, non alienare. Ea tamen, si non sit usu ipso consumptibilis, potest moderatè uti, absque eo quod pretium usque teneatur solvere, nisi fortè ex illo factus sit ditior; quia huc usque est possessor bonae fidei. 3. Si post inquisitionem sufficientem maneat aequale dubium, secundum plures, potest rem ut suam retinere, consumere, vendere &c. quia tunc currit haec regula Juris: *In pari dubio melior est conditio possidentis*; juxta quam omnia Tribunalia, tam Ecclesiastica, quam civilia, rem possessam in dubio totam adjudicant possidenti. Pro quo vide, quae dixi supra de Praescriptione §. 6. Debet tamen esse animo depositus casu, quo comparat dominus, eam rem, si adhuc extet, ipsi reddere; aut si non extet, id, in quantum factus est ditior, nimirum ut possessor bonae fidei; & si vendat, teneatur ex Iustitia monere emptorem de tali dubio; quia est vitium, quo minuitur rei valor & cuius si conscius esset emptor, aut fortè non emerit, aut non tanti emerit, cum exponatur periculo rem amittendi, si a domino evincatur. Ita Sylvius post Baannem & alios, quibus consentit Serra.

§. VI.

§. VI. Utrum aliquid debeat restituere, qui dubitat, an aliquem injustè damnificaverit?

Um quis dubitare possit, non solum utrum rem alienam injustè possideat, sed etiam utrum alium in rebus suis damnificaverit, v. gr. utrum mandato, vel consilio suo in damnum influxerit; utrum ex vulnere inflicto mors sit secuta; utrum proles sit nata ex adulterio, hic casus est frequens; & sic de pluribus aliis: quaerimus, utrum, & quid restituere debeat, qui sic dubitat? Fuit olim sententia satis communis, sic dubitatem non teneri ad ullam restitutionem. Hanc tenet Lessius citans Sotum, & Navarrum, & dicens Doctores in hoc ferè consentire; tenet etiam Sylvius post Salonium & Malderum, Natalis Alexander de adulterio, Wigant, & alii: quorum praecipuum fundamentum est, quod in dubio sit melior conditio possidentis, & quod ideo nemo re sua quam possidet spoliari debeat, nisi certo constet eum debere. Nihilominus opposita sententia videtur minime communior, quam sequuntur Henno citans Deenoq; Neesen, & alios, Henricus a S. Ignatio, Auctor supplém. Tourn. citans Molinam, Layman, & Habert; & novissimè Daëlmán, cum quibus

Dico: Probabilis est, dubitatem, an aliam injustè damnificaverit, teneri ad restitutionem, non totius, sed pro rata dubii. Ita videtur sentire D. Th. hic a. 7. ubi dicit, tunc consiliatorem, & palponem teneri ad restitutionem, *Quandò prole fuerit adulterina accepta subsecuta.* Porro, qui dubitat, an damnum causaverit, probabiliter aestimat se illud causasse; dubium enim oritur ex duplici probabilitate contraria: ergo. Salmem negari non potest juxta S. Th. non requiri certitudinem damni, sed sufficientem probabilitatem, ut quis teneatur restituere. Prob. ratio 1. Qui dubitat, an damnum causaverit, dubitat consequenter, an teneatur restituere: sicut, qui judicat certo se damnum intulisse, certo judicat se teneri restituere; atque hoc ipso quo dubitat se teneri restituere, certo tenetur; quia, si non restituit, cum fortè teneatur, exponitur manifesto periculo committendi iniustitiam, & hic currit haec regula Juris: *In dubiis tutior pars est eligenda* ergo.

Respondent adversarii, quod qui dubitat, an damnum fecerit, non dubitet, nisi forte speculative, an teneatur restituere; quia pro judicium reflexum; quod *In pari causa melior sit conditio possidentis*, certus practice manet se non teneri restituere nisi ipsi certo constet se teneri; possidet enim res suas, quibus ideo se spoliare non teneatur, nisi verus sit, quod debeat: alioquin non foret melior conditio possidentis. Sed contra: Possessio non reddit meliorem conditionem possidentis, nec ipsum eximit a restitutione in dubio, nisi in quantum fundat praesumptionem quod non subsistat ratio obligans ad restitutionem, sicut contingit in his, quae jam diu bona fide possidemus, quatenus non est verisimile, quod homines rerum suarum avidi eas aliis possidendas relinquant, ut dixi de Praescriptione. Undè, si petas a me, cur non restituam rem, quam jam diu bona fide possideo, & de qua nunc dubito, an sit aliena, rectè respondebo, quia ex possessione jure praesumo non esse alienam, & ideo non esse obnoxiam restitutioni. At in nostro casu possessio rerum tuarum non fundat praesumptionem, quod non subsistat ratio obligans ad restitutionem, quod est damnum, de quo dubitas: si enim petam a te, cur non restituas damnum, quod dubitas esse a te causatum, ridiculè prorsus responderes, quia ex hoc quod sim in possessione rerum mearum, jure praesumo damnum non fuisse a me causatum. Quae enim oppositio inter possessionem rerum tuarum, & damnum, de quo dubitas, ut ex affirmatione unius inferas negationem alterius, quasi non posses facillimè possidere res tuas, & damnum causasse?

Si dicas, alia iterum ratione conditionem possidentis esse in dubio meliorem, nimirum quatenus Jura adducunt in dubio rem possessam possidenti, ut patet ex praxi omnium Tribunalium, sicut dicebam §. praeced. & dixi §. 6. de Praescriptione. R. Id quidem verum esse, quando est dubium de re possessa, an sit tua, vel aliena: verum hic non est dubium de re possessa, sed de damno illato, pro quo te non debere saltem ex parte satisfacere de bonis, quae certo possides. Jura nullibi asserunt: nec probari potest ex praxi Tribunalium.

Prob. 2. In casu proposito praesumptio damni stat contra dubitatem, ita ut ipsi incumbat probare se illud non causasse: ergo, si id non probat, teneatur ad illius reparationem, saltem pro parte. Prob. Ant. Ubi constat de delicto, praesumptio stat contra delinquentem; sic ut ipsi in Theol. Billuart. Secunda secunda.

cumbat probare nullum exinde provenisse damnum ex eis, quae ex tali causa provenire solent; quia secundum omnia Jura in dubia causa magis favendum est innocenti, quam nocenti; atque constat de delicto, nempe positam esse injustè causam sufficientem damni: ergo. Confirm. Quando duo concurrunt per accidens ad idem damnum, & dubitatur a quo sit causatum: v. gr. duo explodunt in eundem hominem, & dubitatur, ex cujus ictu sit occisus; duo necentur cum eadem muliere, & nescitur, ex cujus concubitu nata sit proles, uterque tenetur ad restitutionem pro parte, ut communiter docent Theologi: ergo a fortiori nocens, dum concurrat cum innocente.

Prob. 3. Qui dubitat, an damnum causaverit, est causa, tur innocens damna incerta ferat tanquam certa, v. gr. maritus in dubio prolis adulterinae; illum enim incertam alere cogitur, quasi esset certo sua; atque hoc oneramentum est pretio aestimabile: ergo illud resarcire tenetur, qui posuit causam damnificativam: & certe omnino absurdum videtur, quod in pari dubio innocens omnia damna ferat, & nocens ad nihil teneatur. Confirm. specialiter de adulterio. Non teneatur secundum adversarios ad restitutionem in dubio, quia melior est conditio possidentis; non teneatur etiam maritus, quia melior est conditio innocentis: ergo proles dubie spuria omni ope destituta manebit. Quod autem dubitans non teneatur ad restitutionem totius, sed pro rata dubii tantum, patet; quia licet sit forte causa totius damni, id tamen est incertum; damnum autem incertum, sicut lucrum speratum, non tantò valet, quanti lucrum certum.

Dices 1. Nemo tenetur se sua re spoliare, nisi probeatur, quod debeat: quia in dubio melior est conditio possidentis: ergo. R. 1. Juxta 1. probationem N. Conseq. quia hoc ipso quo dubitat se teneri restituere, probatur, quod debeat pro parte, ex illa Regula Juris, *In dubio tutior pars est eligenda*; alioquin exponitur periculo cum mitteredi iniustitiam. Nec in praesenti casu possessio rerum suarum facit conditionem ejus meliorem, ut ostensum est ibidem. R. 2. Juxta 2. probationem D. Ant. Nemo tenetur se sua re spoliare, nisi probeatur quod debeat, si alteri incumbat probare, quod debeat, Transeat Ant. si ipsimet dubitant incumbat probare, quod non debeat, N. Ant. dubitant autem in proposito incumbit probare, quod damnum non sit secutum ex suo delicto; quia praesumptio stat contra delinquentem, ut dictum est.

Dices 2. Proles in dubio potest se reputare legitimam, donec probeatur spuria: ergo etiam adulter potest cum reputare legitimam, sique nihil pro ea restituere. R. N. Conseq. Quia Jura sic disponunt in favorem prolis innocentis, non in favorem adulteri nocentis. Ceterum quamvis talis proles in foro externo non reputetur spuria, secundum rem tamen est dubie spuria; & si fundatè dubietur de sua conditione: non desunt qui putant, eam teneri in foro conscientiae restituere pro rata dubii damna, quae inde legitimi heredes patiuntur.

Dices 3. Ex nostra Sententia sequitur, quod conditio prolis dubiae sit melior, quam conditio prolum certo legitimarum; quia ultra partem hereditatis, quam dividit cum aliis, habeat insuper id, quod ipsi ab adultero refunditur. R. N. Sequelam, & suppositum probationis. Non enim ipsi proli dubiae est aliquid refundendum, si enutriatur a marito, & partem hereditatis accipiat cum aliis, sed ipsi marito, & aliis prolibus, quae in hoc damnificantur.

ARTICULUS XII.

Utrum ille, qui impedit aliquem a consecutione alicujus boni, teneatur ad restitutionem?

Um homo damnificari possit, non solum in bonis, quae actu habet, sed etiam in his, quae alioquin habiturus erat, seu habebat in spe; quaerimus hic, an qui illum impedit a consecutione talis boni sperati, puta beneficii, officii, eleemosynae, legati, lucri, &c. peccet contra Iustitiam, & teneatur ad restitutionem. Potest autem impediri dupliciter: vel vi, metu, dolo, fraude, vel solum precibus, blanditiis, suasionibus &c. Item istud bonum impedibile, vel est proximo debitum ex Iustitia commutativa, quatenus habet jus perfectum, & in re ad illud, ut ad Beneficium post collationem, & confirmationem: nondum adepta possessione; aut jus ad rem, quo possit illud in Jure repetere & facere suum; ut ad Beneficium post electionem aut praesentationem; seu ad rem promissam, vel emptam, nondum traditam: vel non est ipsi debitum ex Iustitia commutativa, sed habet tantum ad illud jus quoddam